

**CORPUS SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM
LATINORUM, VOL. XVIII.
PRISCILLIANI QUAE SUPERSUNT**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649090587

Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum, Vol. XVIII. Priscilliani quae supersunt by
Georgius Schepss

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

GEORGIUS SCHEPSS

**CORPUS SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM
LATINORUM, VOL. XVIII.
PRISCILLIANI QUAE SUPERSUNT**

CORPVS
SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM
LATINORVM

EDITVM CONSILIO ET IMPENSIS
ACADEMIAE LITTERARVM CAESAREAE
VINDOBONENSIS

VOL. XVIII.
PRISCILLIANI QVAE SVPERSVNT
RECENSUIT
GEORGIVS SCHEPSS

PRAGAE VINDOBONAE LIPSIAE
F. TEMP SKY. F. TEMP SKY G. FREYTAG.

BIBLIOPOLA ACADEMIAE LITTERARVM CAESAREAE VINDOBONENSIS.

MDCCCLXXXIX.

PRISCILLIANI
QVAE SVPER SVNT

MAXIMAM PARTEM NVPER DETEXIT

ADIECTISQVE COMMENTARIIS CRITICIS ET INDICIBVS

PRIMVS EDIDIT

GEORGIVS SCHEPSS

ACCIEBIT

OROSII

COMMONITORIVM DE ERRORE PRISCILLIANISTARVM
ET ORIGENISTARVM

PRAGAE VINDOBONAE LIPSIAE
F. TEMPSKY. F. TEMPSKY G. FREYTAG.

BIBLIOPOLA ACADEMIAE LITTERARVM CAESARAE VINDOBONENSIS

MDCCCLXXXIX.



PRAEFATIO.

CAPUT I. DE UNIUERSA NOSTRAE EDITIONIS PRINCIPIS RATIONE ET DE PRIORIBUS QUI DE PRISCILLIANO SCRIPSERUNT AUCTORIBUS.

Quamuis multi sint et prioris et recentioris aevi scriptores, qui de Priscilliano uerba fecerunt, desiderabantur tamen adhuc genuini ipsius libri et ita uidebantur interiisse, ut totum de eo iudicium ab eius inimicis penderet, in quibus maximam Sulpicio Seuero concedebant auctoritatem. Feliciter igitur contigit, ut, cum uetustiores bibliothecae uniuersitatis Wirceburgensis codices accuratius perlastrarem, autumno anni 1885 in codicem saec. V uel VI incidere, qui auctoris illius ab omnibus desperati undecim tractatus continet. Nam etsi Priscilliani nomen in codice, in quo bibliothecae catalogus 'inerti auctoris opuscula patristica' inesse refert, nusquam apparet, tamen mox mihi et aliis persuasi fieri non posse, quin alii auctori quam Priscilliano illi tractatus tribuerentur (cf. nomina propria in tract. I et II obuia et locos parallelos in 'Arch. f. lat. Lexikographie' III, p. 309 not. a me enumeratos; ad quos facile addi possunt multi alii loci ex indice uerborum). Accedebat quod anecdoti mei pretium augeri intellexi per multis locis biblicis a Priscilliano secundum uersionem antehieronymianam allegatis et qui publicarentur dignissimis. Cum igitur edendorum undecim tractatum cepissem consilium, etiam 'canones epistularum S. Pauli' a Priscilliano quidem compositos, sed a Peregrino emendatos addere constitui, quos ad longe plurium meliorumque quam Zachariae Maiique (uid. infra cap. III) librorum fidem edi posse cognoui, simulque commonitorium Orosii, in quo Priscilliani fragmentum seruatur, integrum excutere uisum est, cum praesertim Zangemeister u. cl. in Orosii editione (corp. script. eccl. Uindob., uol. V) consulto id omiserit.

De uita et doctrina Priscilliani cum in libello 'Priscillian, ein neuaufgefundener lateinischer Schriftsteller des IV. Jahrhunderts, Würzburg, Stuber 1886' breuiter disseruerim et postea, si tempus sufficiet, fusius acturus sim, hoc loco titulos tantum nobiliorum qui ad nostram rem spectant librorum congesse satis habeo. Unius autem Hieronymi, testium uetustissimi, cum aptissime totam rem comprehendat, libet transcribere uerba quasi omnium quae attulerunt alii summam breuissimam; memoriae enim prodit Hieronymus in libro de uir. ill. anno 392 conscripto, cap. 121:

Priscillianus, Abilae episcopus, qui factione Hydatii et Ithacii Treueris a Maximo tyranno caesus est (*anno ut uidetur 385 p. Chr. n.*), edidit multa opuscula, de quibus ad nos aliqua peruenerunt. Hic usque hodie a nonnullis gnosticae idest Basilidis uel Marci, de quibus Irenaeus scribit, haereseos accusatur, defendentibus aliis non ita eum sensisse ut arguitur.

Aliorum qui de Priscilliani haeresi ampliora artiora habent uetustiorum scriptorum conspectum, cui pauca habeo quae addam, praebet Io. Henr. Bern. Luebkert in libello 'De haeresi Priscillianistarum ex fontibus denuo collatis, Hauniae 1840', p. 4—11; qui tamen scriptores, cum alii de Priscillianistis magis quam de Priscilliano dicant, alii nomina omnino reticeant, num omnes sint audiendi in iudicanda ipsius Priscilliani doctrina, erit deliberandum; sunt fere hi: acta conciliorum, Ambrosius, Augustinus, Bachiarius, Damasus, [Pseudo-Dexter], Hieronymus (et Aethicus Ister), Idatius, Innocentius, Isidorus, Leo Magnus, Maximus imp., Montanus, Orosius, Pacatus, Philastrius, Praedestinatus, Prosper, Prudentius, Siricius, Sulpicius Seuerus, Theodosianus codex, Turribius, Uincentius Lerinensis.

Praeter Luebkertum libris peculiaribus de Priscillianismo disseruerunt alii quoque uiri docti, uelut Simon de Vries, Diss. critica de Priscillianistis eorumque fati doctrinis et moribus, Traiecti ad Rhenum 1745; Franc. Girnesius, De historia Priscillianistarum dissertatio in duas partes distributa, Romae 1750; P. Th. Cacciari, De Priscillianistarum haeresi et historia, 1751 (= Migne, Patr. lat. 55, col. 991—1066; cf. Storia letteraria

d'Italia, uol. V, 1752, p. 346 sqq.); Io. Matth. Mandernach, *Geschichte des Priscillianismus*, Trier 1851. Ad quos accedunt auctores plurimi, qui de uniuersa historia ecclesiastica (concil. act., lexic. eccles.) uel de haeresium historia uel de historia litteraria agunt; praeterea conferri possunt etiam hi libri: F. Chr. Baur, *Das manichäische Religionssystem* (1831), *Die christliche Gnosis* (1835); Iac. Bernays, *Ueber die Chronik des Sulp. Seuerus*, Berlin 1861 (ed. altera in 'Gesammelte Abhandlungen von Bernays', cur. Usener 1885, tom. II, p. 81—200); Th. Foerster, *Ambrosius, Bischof von Mailand* (1884); Pius Bonif. Gams, *Die Kirchengeschichte von Spanien*, tom. II, pars I (1864), p. 359 sqq.; Ad. Helfferich, *Der westgoth. Arianismus und die span. Ketzergeschichte* (1860); R. A. Lipsius, *Der Gnosticismus* (= Ersch et Gruber, tom. 71, p. 223—305, 1860); Matter-Doerner, *Gesch. des Gnosticismus* (1833); Montalembert-Brandes, *Die Mönche des Abendlandes*, tom. I, 1860; Marcellino Menendez-Pelayo, *Hist. de los heterodoxos Españoles* 1880; M. Rade, *Damasus, Bischof v. Rom* (1882); L. H. Reinkens, *Hilarius v. Poitiers* (1864), *Martin von Tours* (1866); Henr. Richter, *Das weströmische Reich, besonders unter den Kaisern Gratian, Valentinian II. und Maximus*, 375—388 (1865), p. 518 sqq.; Uict. Schultze, *Gesch. des Untergangs des griech.-röm. Heidentums*, tom. I (1887); Albr. Vogel in Herzog-Plitt, *Realencyklopädie f. protest. Theol. und Kirche*, tom. 12 (1883), p. 231 sqq.; Otto Zöckler, *Hieronymus, sein Leben und Wirken* (1865).

CAPUT II. DE CODICE WIRCEBURGENSI ET DE NOSTRA UNDECIM TRACTATUUM EDITIONE.

Priscilliani codex Wirceburgensis, insignitus nota Mp. th. q. 3 (olim CXXVII), saeculo V uel VI exaratus, roboreis circumdatus tegumentis, pergameni folia 1 + 145 = 146 continet, 0,211 alt., 0,151 lat. Transcripsi codicem mensibus Nou.—Dec. anni 1885 et postea apographum meum bis contuli cum codice; plagulas denique a typographo transmissas ad ipsum codicem correxi.

Missa quaestione, quomodo ut hic liber extraneus in nostram urbem deferretur potuerit fieri, unum hoc commemorare libet eiusdem fortasse esse originis, cuius illustrissimum illud exemplar 'codicis Alariciani seu Theodosiani' olim apud nos seruatum, nunc exstans inter cod. Monac., num. 22501, s. VI—VII; uid. G. Haenel 'lex Romana Uisigothorum', 1849, p. XLI sqq. (cuius 'legis' nuper inuenit R. Beer in bibl. ecclesiae cathedralis Legionensis codicem palimpsestum s. VI); cf. etiam catal. cod. lat. Monac. II, pars IV, p. 50; scripturae specimina habes apud Zangemeister-Wattenbach, exempl. cod. lat. litteris maiusculis scriptorum, 1876, tab. 27 et 28). — Uetustate proximi nostro codici sunt palimpsestus biblicus, quem edidit E. Ranke, 'par palimpsestorum Wirceburgensium', Uindob. 1871, et Hieronymiani in ecclesiasten commentarii codex = Mp. th. q. 2.

Quod in Priscillianei codicis primo folio inter locos quosdam sacrae scripturae, quos manus saec. VIII—IX inscripsit (Cecus sedebat e. q. s. = Luc. 18, 35; — Philipp. 3, 3; II. Cor. 6, 2), occurrit nomen 'bilihilt', utrum ad S. Bilihildem circa annum 629 (i. e. 60 fere annis ante Kiliani supplicium, cuius fuisse et in cuius tumulo librum nostrum inuentum esse suspicantur, uid. Oegg in libro mox citando p. 320 et 328) natam Veitshoechhemii prope Wirceburgum aliquo modo referendum sit necne, diiudicare non ausim. Ad eandem 'bilihilt' spectare suspiceris inscriptionem quandam saec. VIII—IX in margine folii 41* adiectam (= p. 34 ed. nostrae), quae habet: 'pro elemosina eccone'. Bilihildem enim Hedani ducis Wirceburgensis uiduam Moguntiae 'altum monasterium' condidisse et ipsam monacham factam esse constat; uoce autem 'eccona' posse signari mulierem sanctimoniam cognosces ex nostro indice rerum; quamquam cur Bilihilt (et Kilianus) haereticum illum librum, — quem Pseudo-Gelasii quoque de recipiendis et non recip. libris decretale damnat (cf. etiam Münchner Sitzungsber. 1888, p. 54 sqq.), — tam pie seruauerint difficile est dictu, nisi forte ex hac re colligere uolumus Christianae fidei in Franconia primos testes ab orthodoxa ecclesia seu dedita opera siue inuitos aliquantum discrepuisse. Orthodoxorum uero in libros haereticos inquisitionem uidetur metuisse ille, qui in fol. 74^b (= p. 56